

5. *Quæ hæresum lolia pullulârunt?*

Potiores temporis hujus hæretici erant Eutychniani, in sectas propè innumeras, Chalcedonensi omnes Concilio adversantes, divisi, qui & Acephali *sine capite dicti*, quòd superioribus Ecclesiasticis subesse detrectarent. Ex his erant Agnoëtæ, Aphthartodocetæ, Tritheitæ, Theopaschitæ &c. Primi docebant, Christum ignorare extremum judicii diem &c. secundi, Christi corpus ante resurrectionem nec corruptioni, nec perpeffioni fuisse subjectum; tertii, SS. Trinitatem ex tribus constare naturis; quarti (quorum auctor priore Seculo erat Petrus *κλαφεις* sive Fullo) divinitatem ipsam cruci fuisse affixam, qui error ansam dedit diuturnæ illi controversiæ: *unus è Trinitate in carne passus est.* Quam quæstionem, licèt catholicæ fidei haud adversantem, Hormisdas ad novas & inutiles tricas præcavendas, decidere noluit.

6. *Quæ Concilia coacta sunt?*

1. In quinto Concilio Oecumenico Constanti-nopoli A. 553, præsentibus tribus Patriarchis & centum sexaginta quinque Episcopis celebrato, damnatus Origenes, & *tria capitula*, hoc est, scripta Theodori Episcopi Mopsuesteni, & Theodoretæ Episcopi Cyrensis, atque Epistola Ibæ Episcopi Edeffeni. 2. In Synodo Arausicana II. condemnati sunt Semipelagiani, sive *Massilienses*, sic dicti, quòd hæresis hujus architecti non pauci Massiliæ sedem fixerint.

7. *Qui ritus aliàque ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia introduci cepta?*

1. S. Gregorius M. cantum Ecclesiasticum præcés-